

praxi congerendo multa satis, et egregia, quæ ædificent, quæ prosint, quæ instruant, quæ delectent, et, ut verbo dicam, auro, cedroque digna sint. Quare tomum hunc secundum subnatum primo, laude, luce, prælo dignissimum censeo, nec permittendum tantummodo, sed etiam jubendum, ut edatur, jurisque publici fiat. Datum Frisingæ, die 11 maii, anno 1704, in conventu nostro S. P. Francisci stigmatizati.

— Fr. FLORIDUS MOSMILLER, Ord. Min. S. P. Francisci Reform. provinciæ Baviariæ lector jubilatus, et SS. Canonum actualis.

DIE 7 NOVEMBRIS 1831. — REIMPRIMATUR. — Fr. DOMINICUS BUTTAONI, Ord. Præd. Mag. S. Pal. Soc. — REIMPRIMATUR. — JOSEPHUS DELLA PORTA Patriar. Constantinop. Vicesg.

### ERRATUM

Pag. 245, col. 2, n. 241, adde : ADNOTATIO XXXVI.

## PRÆFATIO AUCTORIS

Non ita pridem, benevole Lector, iterato in Germania, ac novissime in Italia, publicam lucem aspicere meruit theologia moralis, labore meo per plures annos indefesse continuato ad Dei gloriam feliciter absoluta. Sed ei, qui velle et nolle non habet, c. *Si Religiosus, de Election.* in 6, non idcirco quiescere licuit : quin potius, sum ob instantiam virorum præcellentium, omni reverentia atque observantia dignissimorum, tum ad mandatum legitimorum superiorum, labores novos suscipere, atque Juri Canonico clarius explicando memet accingere oportuit. Adest proinde tomus primus, complectens præmium librumque primum Decretalium Gregorii IX juxta ordinem titulorum explicatum ; cæteri, favente Deo, sequentur in proximo. Atque pro majori claritate operis, meliorique, Lector benevole, commoditate tua, modum et ordinem procedendi sequentem observare placuit : dividendo videlicet singulos longiores titulos in paragraphos, hos subsecando in quæstiones, et quæstiones partiendo in numeros. Et ut horum contentum facilius intelligatur, specialia singulis paragraphis summaria præmittuntur, juncto materiarum præcipuarum copioso indice ad finem libri apposito : simulque circa initium ejusdem libri extat elenchus omnium paragraphorum, et quæstionum in singulis examinatarum, ut omnia minori cum labore cognosci, atque reperiri valeant\*. In delectu opinionum tutior, probabiliorque pars videbatur tenenda : ita tamen ut, cum secundum philosophos contraria juxta se posita magis elucescant, oppositæ aliorum sententiæ non taceantur ; sed ipsorum præcipuæ rationes, saltem per modum objectionis, seu instantiæ cujuscumque, fideliter allegentur, simulque resolvantur. Salvo in omnibus meliori aliorum, ac præsertim Sanctæ Romanæ Ecclesiæ judicio, cui hæc omnia humillime sint subjecta, et si quid præter spem in progressu operis ex ignorantia, seu inconsideratione humana irrepsisset ejusdem S. R. Ecclesiæ judicio contrarium, id totum ex nunc censeatur expunctum, annullatum, et ex animo retractatum. Cæterum, ubi quid minus bene dictum, aut obscurum, oculis tuis occurrerit, illud, Lector benevole, vitio scribentis attribue : si vero gratum aliquid, aut laude dignum repereris, soli Deo adscribe a quo omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est. JACOB., I, 17.

ACULTAS ET CENSURA ORDINARIJ. — Cum juris canonici tomus primus Rev. P. Anacleti Reiffenstuel, Ordinis Minorum S. Francisci Reformatorem theologi jubilati,

\* In præsentì editione, summaria in corpore paragraphorum distributa fuerunt, ita ut unusquisque numerus titulo competenti muniretur ; elenchus vero quæstionum ad calcem cujusque voluminis rejectus fuit.

etc. a theologis perfectus, nihil fidei orthodoxæ, aut bonis moribus contrarium contineat, sed imo ob claram methodum, sententiarum gravitatem, et rationum subtilitatem jus dicentibus, et in utroque foro versantibus, apprime utilis futurus sit: ideo ut publicam lucem videre possit, licentiam, et facultatem concedimus, ac impertimur. In quorum, etc. — Frisingæ, die 30 septemb. 1700. — FRANCISCUS ANTONIUS BEGNUMELLIUS BASSUS, SS. Theolog. Doctor, canon. capitul. s. scholasticus, vicarius generalis et officialis.

LICENTIA ET APPROBATIO ORDINIS. — Fr. Matthæus a sancto Stephano, SS. Theologiæ lector jubilatus, ac totius ordinis S. P. N. Francisci minister generalis, et servus: Dilecto nobis in Christo R. P. F. Anacleto Reiffenstuel, lectori jubilato et concionatori nostræ reformatæ provinciæ Baviaræ, salutem, et omne bonum.

Cum juxta apostolicas, nostrique Ordinis constitutiones, per idoneos censores, revisum fuerit opus quoddam a te compositum, cujus titulus est: *Jus canonicum juxta Titulos quinque Librorum Decretalium in Questiones distributum, etc.*, tenore præsentium, ad salutaris obedientiæ meritum, facultatem tibi impertimur, quatenus servatis servandis, illud typis mandare valeas. — Datum Romæ, die 10 aprilis 1700. — Fr. MATTHÆUS a sancto Stephano minister generalis. — De mandato S. P. Reverendissimæ, Fr. PETRUS ab Urbino, secretarius generalis.

FACULTAS ADMODUM REVERENDI PATRIS MINISTRI PROVINCIALIS. — Cum a Reverendo Patre Anacleto Reiffenstuel, Ord. Min. S. Francisci Reformatorum provinciæ Baviaræ ex-custode, lectore jubilato, opus quoddam, cui titulus est: *Jus canonicum, juxta Titulos quinque Librorum Decretalium in Questiones distributum*, sit compositum; illudque a duobus theologis jamjam sit revisum et approbatum, plurimumque recommendatum, et omnia, quæ de jure in editione libri sunt servanda, sint observata tenore præsentium facultatem impertior, ut laudatissimi hujus operis tomus primus pro utilitate publica typis mandari possit. — Actum Frisingæ 4 septemb. 1700. — Fr. BENNO MAIR, Ord. Min. S. Francisci Reformat. lector jubilatus, et provinciæ Baviaræ literato minister provincialis.

CENSURA THEOLOGICA. — Quamvis religiosæ familiis non tantum decorum sit theologicis, asceticis, controversisticis, concionatoriis, philosophicis, historicis, et aliis hujusmodi mysticis, dogmaticis, aut scholasticis lucubrationibus occupari; sed etiam subinde necessarium ad canonicum studium sese convertere, ac publicis scholis, typis, scriptis, dictis, vel consultis, sacros canones intelligendos docere, practicandos intelligere, proponere et propugnare. arduum tamen manet, Summorum Pontificum, et œcumenicorum conciliorum sensa, sæcularium principum decretis solidare, Codicis ac digestorum statuta conformare, sacrorum æquitati totum jurium nervum addicere, canonicas et ecclesiasticas quæstiones cum civilibus laboribus ac complexe controversas ita combinare, resolvere et explanare, ut saluberrima-

rum legum claritas ex obscuritate in litteris ac decretis, sanctitas ex dimensione a primo legislatore, et facilitas ex difficultate conciliationum atque explicationum elucescant. Quæ omnia, insigni *Laudis* et *Utilitatis* encomio, præsens auctor R. P. Anacleto Reiffenstuel in hoc *Primo Decretalium* tomo præstat. Et quia insuper *Orthodoxæ Fidei*, ac *bonis moribus singularissime* sese conformat, *singularitatem* in ipso veneror, non exitialem, neque reprehensibilem, sed talem, quæ *singulariter* sit commendabilis, hoc est, *unice, excellenter, magnopere, mirum in modum, etc.* Ideoque etiam hosce Commentarios privato studio, ac publico bono utilissimos fore censeo, consequenter typo ac prælo dignissimos. — Monachii, die 16 aug., anno 1700. — Fr. FORTUNATUS HUEBER, totius Ord. S. P. Francisci et Reform. provinciæ Baviaræ pater, lector et concionator generalis, scriptor publicus et chronologus Germaniæ.

PRODIT in lucem, speciali studio congesta, magnoque judicio digesta a clarissimo auctore R. P. Anacleto Reiffenstuel, Ordinis Minorum S. P. Francisci Reformatorum provinciæ Baviaræ lectore jubilato, *Juris canonici universi, juxta Titulos quinque Librorum Decretalium in quæstiones distributi, solidisque responsionibus, et objectionum solutionibus dilucidati, clara methodus*, quam ego infrascriptus, et ad hoc superiorum jussu et annutu deputatus, solerter revidi, studioseque recognovi. Cumque non tantum a solidissimis fidei orthodoxæ principiis, et canonicis SS. Pontificum statutis, in ullo non deflectat; sed insuper Juris utriusque addiscendi principia in præmio hujus primi tomi ex fundamentis doceat, pragmaticisque quæstionibus, et quæstionum resolutionibus, præcipue in foro ecclesiastico usu frequentioribus, adamussim Juris communis veteris ac novi in progressu mire illustret: idcirco censui opus hoc quoad primum tomum typo præloque dignissimum, ut ad communem omnium, et singulariter causas ecclesiasticas pertractantium utilitatem, maximumque sacro juri operam navantium emolumentum, in lucem edatur. — Datum Frisingæ, in conventu S. P. N. Francisci stigmatizati, die 25 augusti, anno Domini 1700. — Fr. FLORIDUS MOSMILLER, Ord. Min. S. P. Francisci Reform. Provinciæ Baviaræ lector jubilatus, et SS. Canonum actualis.

DIE 7 NOVEMBRIS 1831. — REIMPRIMATUR. — Fr. DOMINICUS BETTAONI, Ord. Præd. Mag. S. Cal. Sec. — REIMPRIMATUR. — JOSEPHUS DELLA PORTA Patriar. Constantinop. Vicæsg.

# PROŒMIUM

## § I.

### DE NATURA, ET DIVISIONE JURIS UT SIG.

1. *Ratio ordinis.* — « Juri, » sive addiscendo, sive pertractando, « operam daturum prius nosse oportet, unde nomen *Juris* descendat; » prout notatur l. I. ff. *de Justit. et jur.* Neque enim omissis initiis oportet illico medium apprehendere : quia in omnibus rebus illud dumtaxat perfectum existit, quod ex omnibus suis partibus constat : certum autem est cujuscumque rei potissimam partem esse principium, l. I. ff. *de Origine juris.* Ordiendo igitur in nomine illius, qui est Alpha et Omega, Principium et Finis, *Apocal.* c. 1, 8. et quod attinet ad nominis etymologiam quæritur :

2. *Juris vocabulum, unde derivetur? an a justitia?* — Quæritur I. Unde derivetur *Juris* vocabulum? Resp. *Jus* per quamdam synopen derivatur a *Justo*, uti notatur in can. *Jus generale*, dist. 1. ibi, « *Jus* autem est dictum, quia justum est » vel, ut in cit. l. I. ff. *de Justit. et jur.* legitur, « *Jus* a *justitia* appellatum est : nam *jus* est ars boni et æqui : » tradens videlicet id, quod bonum est et æquum, per quasdam collectas regulas ad communem utilitatem ordinatas.

3. *Solvitur instantia, ex c. Jus dictum, de Verb. signif.* — Nec obstat textus in c. *Jus dictum, de Verb. signif.*, ubi Isidorus in libro *Etymologiarum*, dixisse refertur : « *Jus* dictum est a *Jure* possidendi : hoc enim *jure* possidetur, quod *juste*. » Resp. enim hic per Isidorum poni etymologiam *Juris*, non prout *Jus* est generale nomen, sed prout appli-

catur ad rem certam, v. g. dicendo : « *Habeo jus* in tali re : » sic enim *Jus* recte dicitur a *Jure possidendi*. Abbas Panormitanus ad cit. c. *Jus dictum, de Verb. signif.* Et in hac acceptione idem Isidorus, relatus in c. *Omnes*, dist. 1. distinguit ab invicem *Jus*, et *Fas* : « nam transire, inquit, per agrum alienum, fas est, » sive licitum est : « *jus* non est. »

4. *Alia instantia* : et mens Ulpiani in l. I. ff. *de Justit. et jur.* declaratur. — Dices : *Juris* vocabulum est simplicius *Justo*, et *Justitia*; simulque *Jus*, utpote objectum *justitiæ*, est antiquius ipsa *justitia* : ergo non *Jus* a *Justitia* ut vult Ulpianus, l. I. ff. *de Justit. et jur.*, sed potius *Justitia* a *Jure*, secundum ipsas etiam grammaticæ leges, derivatur. Ob hanc instantiam non desunt qui *Jus* a *Jussu*, sive *Jubendo*, derivari censeant; ut Aristoteles, 5 *Ethic.* c. 1 et Calepinus, 7. *Jus* : quasi *Jus* idem sit ac *jussum* superioris : quo dato Ulpianus, loc. cit., tantum vulgariter locutus esse censebitur; idque ob nimiam *justitiæ* cum lege naturali cohærentiam; ut propemodum *Jus* a *Justitia* derivari videatur. Joachim Mysinger lib. I, *Instit.* tit. § *Justitia*. n. 2. Vel dicas cum Alberto Bolognato, tom. I. *Tractatum*, tract. *de Lege, jure, et æquitate*, c. XIV. n. 18. et quibusdam aliis, Ulpianum cit. l. I. *Justitiam* non ut habitum et virtutem, sed ut deam considerasse (etenim gentilitas *Justitiam* colebat ut deam, Jovisque filiam faciebat) prout desumi potest ex subsequentibus verbis ipsius Ulpiani, loc. cit., dum subjungit : « *Cujus merito* quis nos sacerdotes appellat; » sicque censuisse videtur, quod *Jus* ab ea derivetur. Qua ratione sensu catholico dici poterit *Jus* appellari et derivari a